

evitandam, unusquisque uxorem suam habeat.

3. *Calumnia et calumniari, quid?* — Porro calumnia, de qua evitanda hoc juramentum præstat, et quantum ad propositum, est alicujus in litibus per fraudem et frustrationem vexatio. Atque hæc calumniæ definitio desumitur ex l. *Si calumniatur*, ff. de Verb. signif. ubi dicitur: « Calumniatores appellati sunt, qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus. » In causis criminalibus tamen proprie calumniari, est falsa crimina intendere; prout habetur L. I, ff. ad S. C. Turpilianum.

4. *Juramentum calumniæ, quæ contineat?* — Resp. II. Juramentum calumniæ, tria continet, sub quibus jure sic disponente præstandum est. *Primo*, quod quis credat, se justam causam habere, actor siquidem jurare debet « non calumniandi animo litem se movere, sed existimando bonam causam habere. Reus vero jurat, quod « putans se bona instantia uti, ad reluctandum pervenerit; » prout sancitur in L. II, C. de Jurejurando propter calumniam. *Secundo*, quod nullam petant dilationem calumniosam, neque probationem superfluum exigant ab adversario in fraudem sive protrahendæ litis ergo; ut l. I, juncta Auth. *In isto juramento*, c. eod. *Tertio*, quod nihil promiserint, dederint, daturive sint per se, vel per alios, causa patrociniis iudicibus, aliisque personis; exceptis iis, quæ propriis advocatis pro patrociniis præstantur; aliisque personis, quibus dari posse jura disponunt. Auth. *Principales*, c. eod.; Engel h. t. n. 1. Zoesius n. 6, et alii.

5. *Juramentum calumniæ, quæ contineat?* — Cæterum Glossa in cap. I, §. *Calumniæ*, h. t. addit alia duo puncta, quæ in hoc juramento continentur: videlicet, *quarto* quod quis interrogatus in judicio non negabit, quod verum esse credit, sed veritatem respondebit. Et *quinto*, quod non utetur scienter falsa probatione. Et hæc quinque puncta quorum tamen duo ultima commode redeuntur ad unum ex tribus præmissis, sequentibus versiculis complectitur citata Glossa, quam sequitur Pirhing, h. t. n. 2.

Istud juretur, quod lis sibi justa videtur.
Et si quaeretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

6. *Juramentum malitiæ, quid?* — Quæritur III. Quid sit juramentum malitiæ, et quomodo differat a juramento calumniæ? Resp. I. *Juramentum malitiæ*, de quo fit mentio in cap.

II, h. t. in 6, vocatur illud quod præstat non super tota causa, sed super exceptionibus, vel aliis singularibus articulis, sive ante sive post litem contestatam, quoties præsumptio est contra aliquem, quod quid malitiose proponat: ut puta, si præsumptio adsit contra partem litigantem, quod malitiose proponat exceptionem, vel malitiose petat dilationem, etc. Ita Speculator tit. de *Juramento malitiæ*. § *Est autem*, n. 6. et in re communis; atque desumitur ex cit. cap. II, § fin. h. t. in 6, juncta Glossa §. *Malitiæ*, et doctores ibidem. Concordat c. *Pastoralis*, 4. de *Exceptionibus*, et c. *Ultra tertiam*, 33., de *Testibus*, ubi non admittitur quarta testium productio, nisi præstito ab eo, qui eam desiderat, juramento malitiæ: militat enim contra talem præsumptio, quod ipsam malitiose solum petat, puta, animo protrahendi litem.

7. *Non est superfluum; et cur?* — Dices: Præstito semel juramento calumniæ super tota causa, superfluum videtur aliud super singularibus articulis juramentum malitiæ; ergo frustra asseritur. Resp. neg. anteced. Nam, ut recte notat Ancharanus in cit. c. II, n. 4, h. t. in 6, per juramentum calumniæ, vel de veritate dicenda, merito non excluditur juramentum malitiæ: quia « plus solet timeri, quod singulariter pollicetur, seu juratur, quam quod generali sponsione concluditur, » per textum notabilem in c. *Quantum*, dist. 23.

8. *Differat multipliciter a juramento calumniæ.* — Resp. II. Juramentum malitiæ differat multipliciter a juramento calumniæ, prout ostendit Speculator cit. § *Est autem*, n. 9, et sequuntur alii. Imprimis enim juramentum calumniæ, utpote quod præstandum est super tota causa, primum post litem contestatam exigere potest, arg. cap. I, h. t. in 6. Juramentum malitiæ econtra exigere potest tam ante, quam post litem contestatam, cit. cap. II, § fin. eod. in 6. Deinde juramentum calumniæ exigitur super tota causa: alterum vero non nisi super particularibus articulis, super quibus adest præsumptio, vel iudex ex variis iudiciis suspicatur, quidpiam malitiose proponi. Insuper juramentum calumniæ, in eadem instantia, et ab eadem persona non nisi semel præstatum juxta dicenda n. 17. Juramentum malitiæ vero potest exigere toties, quoties iudici videbitur, cit. cap. II, § fin. h. t. in 6. Ulterius differunt, quia juramentum de malitia est species contenta sub juramento generali calumniæ, non econtra. Ancharanus

in cap. II, n. 4, h. t. in 6. Tandem juramentum calumniæ olim non præstabatur in causis mere spiritualibus (etsi postea hoc correctum fuerit, cap. I, h. t. in 6.); at vero juramentum malitiæ etiam olim, sive spectato jure antiquo, jam præstabatur in causis spiritualibus, c. *Cum dilectus*, 32, juncta Glossa §. *Juramento, de Electione*, et c. *Litteras*, 13, de *Restitut. spoliat.*

9. *Juramentum de veritate, quid?* — Quæritur III. Quid sit juramentum de veritate, et an differat a juramento calumniæ? Resp. I. Juramentum de veritate illud appellatur, quod deponitur super scientia, seu veritate, quam quis scit, dicenda. Unde juramentum hoc, stricte loquendo, cadit super scientiam (atque explicatur per verbum, *Scio*), et non mere super credulitatem.

10. *Spectato rigore juris, jurans de veritate dicenda non tenetur respondere, nisi quod novit per proprios sensus.* — Inferitur proinde, quod quantum est spectato rigore juris, jurans de veritate dicenda, non teneatur respondere, nisi id, quod scit, sive novit per proprios sensus, arg. can. *Hortatur*, 3, q. 9, et notant Speculator ubi supra § *Est autem*, n. 12, et Abbas, c. *Litteras*, n. 12 h. t. Idque exemplificari potest in testibus, qui regulariter non probant, nisi deponant de scientia, sive de iis quæ propriis sensibus perceperunt, can. *Testes per quancumque*, 3, q. 9, juncta Glossa ibid. §. *Quæ noverunt*.

11. *Istud de consuetudine non servaturi; et cur?* — Verum de facto rigor iste de consuetudine in curiis non adeo exacte observatur: ac proinde astrictus juramento de veritate dicenda, non solum tenetur respondere de iis, quæ scit per proprios sensus, sed etiam de quibus per varia argumenta, indicia, aut præsumptiones habet credulitatem. Et hoc fit ex eo: quia non semper de omnibus articulis potest haberi exacta notitia, sed quandoque dumtaxat probabilis opinio, vel credulitas ex variis iudiciis, sive argumentis deprompta; præsertim cum et ille censeatur veritatem deponere, qui dicit, *Credo*, si re ipsa credat, ita esse. Accedit, quod scientia in iudiciis non semper tam stricte accipiatur, sed quandoque etiam large, pro omni videlicet notitia, quam quis habet sive certitudinaliter sive ex credulitate: talis enim etiam dicitur scientia saltem improprie; ut l. II, § *Quod observavi*, C. de *Jurejur. propter calum.*, ubi tutores, et curatores, dicuntur jurare « ex animi sui scientia: » id est (ut ex-

plicat Glossa ibidem) « ex conscientia sua credulitatis, quam habent circa justitiam causæ, » non de veritate facti. Abbas in cit. c. *Litteras*, n. 2, h. t.; Pirhing, eod. n. 3.

12. *Juramentum de veritate dicenda partim convenit cum juramento calumniæ.* — Resp. II. Juramentum de veritate dicenda partim convenit, partim differt a juramento calumniæ. Patet hoc inductione: nam præter rationem generalem juramenti, conveniunt in hoc, quod utrumque possit exigere, ac præstari, sive ab exordio litis, sive in qualibet ejus parte ut cap. un. h. t. in 6. Item quod utrumque etiam in causis spiritualibus de facto sit præstandum cit. cap. I, § fin. licet olim secus fuerit de juramento calumniæ, cap. II h. t. Item conveniunt, quod in causa appellationis tam de veritate dicenda, quam de calumnia jurari debeant; haud obstante quod a principio taliter juratum fuerit, c. *In appellationibus*, § 1, h. t. in 6.

13. *Partim ab isto differt; et quomodo?* — Differunt autem: quia juramentum de calumnia, est juramentum credulitatis, quo quis jurat, se credere, quod justam causam habeat, unde explicare solet per verbum *Credo*. Econtra juramentum de veritate est juramentum de scientia seu de veritate, quam quis scit, dicenda; atque fit per verbum *Scio*. Proinde utile est, præter juramentum calumniæ exigere a parte adversa juramentum de veritate dicenda: prout etiam in cap. I h. t. in 6, et in cap. II, § fin. eod. in 6, utrumque simul conjungitur. Pirhing, h. t. n. 28.

14. *Partim ab isto differt; et quomodo?* — Differunt ulterius: quia juramentum de veritate est species juramenti ut sic, inclusa tamen sub juramento generali calumniæ, non econtra. Ancharanus in cap. II, n. 4, h. t. in 6. Item differunt: quia juramentum calumniæ, cum feratur super tota causa, respicit multa capitula: at vero juramentum de veritate respicit unum dumtaxat, videlicet illud super quo fertur, quodque a jurante scitur. Tacentur aliæ differentie, quas allegat Speculator cit. tit. de *Juramento calumniæ*. § *Est autem*, n. 12 et 13, et Abbas in c. *Litteras*, n. 10, h. t. nam illæ sunt minus certæ.

§ II.

DE NECESSITATE PRÆSTANDI JURAMENTUM CALUMNIÆ.

15. *Juramentum calumniæ ab alterutra parte exactum, necessario est præstandum; alioquin*

processus non valet. — Quæritur I. Utrum necessario, et quando præstandum sit juramentum calumniæ? Resp. I. Juramentum calumniæ, ab alterutra parte exactum, necessario est præstandum; adeo, ut tunc censeatur esse de substantia judicii, ejusque ommissio viciet processum, ac sententiam reddat invalidam. Ita clare desumitur ex l. II. § *Sed quia veremur, c. de Jurejurand., propter calumn.* ac notat Bartolus ibid. § *Circa hanc legem*; Pirhing h. t. n. 3; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 84. n. 1, et alii. Additur tamen ly « ab alterutra parte exactum, » ob dicenda § 3, n. 45 et 48.

16. *Est regulariter præstandum ab exordio litis, quamvis et postea exigi, ac præstari possit.* — Resp. II. Juramentum calumniæ regulariter ab exordio litis, sive statim post litem contestatam, et antequam positiones ab actore offerantur, præstandum est: si tamen id non fiat, poterit exigi, atque præstari in qualibet parte judicii. Ita communis, atque habetur decisum cap. I. § 1 h. t., in 6, illis verbis: « Si de calumnia, seu de veritate dicenda, in primo litis exordio non juretur, ut debet, poterit postmodum in qualibet parte litis jurari: cum hujusmodi juramenta præstari ab initio de substantia ordinis judiciarii non existat. » Hæc Pontifex. Ubi ly « ut debet, » probat priorem partem conclusionis: quæ etiam liquet ex l. II. c. *de Jurejurand. propt. calumn.*; ubi tam actor, quam reus, jubetur hoc juramentum præstare « in primordio litis: » sive « post narrationem et responsionem, » hoc est, post factam litis contestationem. Concordat Auth. *Hoc sacramentum, c. eod.*

17. *Durante eadem instantia non nisi semel præstandum est.* — Resp. III. Nihilominus durante eadem lite, seu instantia, juramentum calumniæ non nisi semel præstandum est. Ita habetur decisum in Auth. *De iis qui ingrediuntur, etc.* § fin. collat. 5, et Auth. *In isto juramento, c. de Jurejurando propter calumn.,* expresse prohibendo, « ne sæpius juretur in causa: » *et si alterutra pars hoc juraverit sacramentum, istud nequaquam penitus ab altera parte expeti possit.* Accedit ratio: quia juramentum calumniæ est generale super tota causa; ac proinde extenditur ad omnia subsequenta, ipsumque totum negotium, et quemlibet ejus articulum: unde tunc superfluum foret novum calumniæ juramentum, sicque non repetendum, c. *Etsi Christus, 26. de Jurejurand.,* et cap. II *de Probat.*

18. *Sed in causa appellationis denuo debet*

jurari. — Resp. IV. His tamen non obstantibus, in causa appellationis denuo jurari debet de calumnia. Ita reperitur decisum in cap. II, § 1, h. t. in 6 illis verbis: « In appellationis causa, quanquam in principio juramentum fuerit, præstari jubemus calumniæ juramentum. Et idem in juramento de veritate dicenda volumus observari. » Hæc ibi.

19. *Causa appellationis, est alia causa a prima instantia; et cur?* — Idem suadet ratio, quia causa appellationis est nova instantia, sicque censetur alia causa a prima instantia, seu lite principali: unde merito tunc exigitur novum juramentum calumniæ. Antecedens traditur a Glossa in l. *Cum et judices, §. Novisse,* et Bartolo ibid. § *Circa hoc quæritur, c. de Jurejurand. propt. calumn.* Speculator tit. *de Jurament. calumniæ.* § *Sequitur.* n. 3, et aliis. Idque patet ex eo, quia causa appellationis versatur circa aliud objectum a causa principali, seu prima instantia: nam, ut dicitur in c. *Interposita.* 70. § fin. *de Appeuat.,* in casu appellationis iniquitas prioris judicis principaliter arguitur. Accedit quod in causa appellationis alius sit iudex, aliudque tribunal: nam appellatio est a minori iudice ad majorem provocatio, arg. cap. II. juncta Glossa §. *Officiali, de Consuetud.* in 6. Insuper in ea novæ probationes afferri, atque exceptiones proponi possunt. l. *Per hanc divinam, c. de Temporib. appellat.* Imo et nova libelli oblatio, et contestatio litis fieri debet, c. *Raynaldus, 18.* juncta Glossa §. *Contestata, de Testament.* Quin et procurator in causa principali primæ instantiæ condemnatus, non tenetur appellationem sequi invitus. c. *Non injuste, de Procuratorib.,* et l. *Invitus.* c. eod. Hæc enim omnia probant, causam appellationis esse aliam a prima instantia; sicque in ea denuo præstandum juramentum calumniæ, quando exigitur.

20. *Solvitur instantia contra hoc.* — Nec obstat textus rubricæ, in l. un. c.: « Ne liceat in una eademque causa ter provocare, » hoc est, appellare: quibus verbis indicari videtur, unam eandemque esse causam principalem, et causam appellationis, cum alioquin nunquam in eadem causa ter appellari contingeret. Resp. enim, in allato textu per ly « in una eademque causa, » intelligi unum idemque negotium principale, circa quod ter provocare, seu appellare nulli est licitum: non autem ibi denotari eandem litem, seu instantiam, de qua loquitur utraque præmissa conclusio nostra.

21. *Juramentum calumniæ est præstandum in omnibus causis.* — Quæritur II. In quibus causis juramentum calumniæ sit præstandum? Resp. I. Juramentum calumniæ (nisi tacite remittatur, juxta dicenda § 3, n. 48) indifferenter præstandum est in omnibus causis, in quibus probatione opus est, sive sint civiles, sive criminales. Ita Hostiensis in *Summa,* n. 3. h. t., et Abbas in cap. I, n. 12 et 13. eod.; Vallensis. h. t., § 3.; Pirhing, n. 25, et quamvis quoad causas criminales non pauci alii: teneant oppositum, ac multum pro et contra disputet Glossa in cap. I. §. *Criminali,* h. t. tandem in nostram conclusionem inclinans. Ratio hujus desumitur ex l. I. c. *de Jurejurand. propter calumn.,* ubi juramentum calumniæ jubetur præstari in omnibus causis. Concordat cap. I, h. t. ubi pontifex juxta divinas et humanas leges diffinit, clericos in causa Ecclesiæ suæ non teneri per se jurare de calumnia, sed posse nujusmodi officium committere idoneis defensoribus suis; idque vult observari « in quacumque causa, sive controversia, seu criminali, sive civili. » Frustra enim ita clerici eximerentur a præstando juramento calumniæ in ejusmodi causis, si cæteroquin in istis de rigore juris non esset præstandum dictum juramentum; prout argumentatur Abbas, cit. n. 12. (ADNOTATIO XXXVIII.)

22. *Et tam in judicio ordinario, quam summario.* — Et hoc procedit tam in causis, quæ discutuntur in judicio solemnni, sive ordinario, quam etiam, in quibus agitur simpliciter ac de plano, sive summariter et sine figura judicii. Prout liquet ex Clem. *Sæpe contingit, de Verb. signific.* ibi: « Præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. »

23. *Ac etiam in causis spiritualibus, licet antiquitus secus fuerit.* — Id ipsum de facto procedit non solum in causis profanis, sed etiam spiritualibus, in quibus v. g. agitur de ecclesiis, decimis aliisque rebus sacris. Fatendum quidem est, quod antiquitus in causis mere spiritualibus, spectato iure canonico, juramentum calumniæ nec dari, nec recipi consueverit, text. clar. c. *Litteras, 2.* h. t. Idque ex eo accidit: quia in spiritualibus præsumebatur, quod litigantes semper haberent Deum præ oculis, sicque non calumniarentur; simulque, quia tales causæ non ex legum distractione, sed ex canonum æquitate sunt de-

terminandæ, cap. I. *de Dolo et contumac.,* cum concordantiis. Verum istud postea correctum fuit in cap. I. § fin. h. t. in 6. ubi, ut via præcludatur calumniis, pontifex decrevit, etiam in causis spiritualibus tam de veritate dicenda, quam de calumnia jurandum esse: « Quia (inquit) frequenter calumniari videmus in ipsis. » Et sic æquum fuit, ut, cum frigescente charitate multorum, cessasset ratio prius allegata, etiam cessaret atque revocaretur prior constitutio.

24. *Imo et in criminalibus.* — Et quamvis loquendo de causis criminalibus non desinit doctores, quos citat et sequitur Zoesius h. t. n. 5 volentes, quod in ipsis criminaliter intentatis non recte exigatur juramentum calumniæ: idque tum propter obvium perjurium, cum in causa sanguinis liceat se qualitercumque redimere, imo et accusatorem suum corrumpere, et cum eo transigere, l. *Transigere, c. de Transact.* l. I. ff. *de Penis eorum qui,* etc.; tum ex eo, quia in causis criminaliter motis requiritur ex parte accusatoris inscriptio, quæ sola videtur sufficere. Nihilominus etiam in causis criminalibus; si exigatur, præstandum esse juramentum calumniæ, videntur convincere jura n. 21 citata; utpote quæ loquuntur indistincte de omnibus causis, et consequenter etiam de criminalibus. Abbas in cap. I, n. 12 h. t., et alii in conclusione citati.

25. *Solvuntur contraria. In criminalibus licitum est.* — Nec urgent rationes n. præced. in oppositum allatæ. Quia imprimis dictum illud, quod in causis criminalibus licitum sit, accusatorem suum corrumpere, et cum eo transigere, non ita accipiendum est, quasi id culpa vacet (mentiri enim nunquam est permissum), sed quia illud ignoscitur, hoc est, ob id a jure nemo punitur. Glossa marginalis in cap. I. §. *Non dicitur* h. t. Deinde, quamvis licitum sit transigere, non sequitur licitum esse calumniari: nam etiam in civilibus, haud obstante juramento calumniæ, licitum est transigere cum adversario, nunquam autem calumniari. Ad alterum dicitur, aliud esse juramentum calumniæ, aliud inscriptionem: unde sicut non obstante juramento malitiæ, vel juramento de veritate dicenda, adhuc exigi potest, atque exactum præstari debet juramentum calumniæ, cum sit diversum ab illis; ita etiam in criminalibus præstandum est non obstante inscriptione. Neque obstat periculum perjurii: nam fides primarius juramenti calumniæ optimus est, videlicet ve-